

ALANVS DE RVPE DOMINICANVS.



Alanus de rupe eruditione & integritate uite
conspicuus extitit. Hic pietatis & studiorum
causa se in ordinem Dominicanorum recepit, &
magna existimatione inter fratres uixit. sua enim
doctrina & mirabili facundia homines inter
cionandū à uitījs ad uirtutes perduxit. quod etiam
uerbo non poterat, id exemplo perficiebat. Hic A-
lanus Rosarium S. Mariæ conscripsit, & homini-
bus proposuit. scripsit etiam Psalterium Mariæ, at-
que de Rosarij miraculis, cum quibusdam alijs. Ob
Mariæ etiam Rosarij honorem fraternitatem insti-
tuit, quæ per Apostolicam sedem confirmata, plu-
rima passim incrementa sumpfit. Tandem is in cō-
uentu suo Suollēsi moritur, in uigilia assumptionis Mariæ uirginis, anno 1474.
Trithemius.